

Revocatio omnium licentiarum Monasteria Monialium ingrediendi, aut cum eis conversandi, mulieribus haftenus concessarum.

Hac Super re vide Constit. XLIV. Greg. XIII. Ubi gratia. Tom. IV. Part. III. fol. 298.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Monialium quieti, quae carnalia desideria abnegantes, Dei obsequio sese addixerunt, pastoralis sollicitudine consolare cupientes, ad ea removenda, quae religiosam earum quietem, & regularem observantiam perturbare dignoscuntur, curam nostram libenter intendimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Revocatio licentiarum ingrediendi Monasteria Monialium mulieribus secularibus concessarum.

Quoniam itaque, sicut accepimus, experientia compertum est, non levia incommoda licentias ingrediendi Monasteria Monialium mulieribus secularibus concessas, dictis Monialibus inferre: Nos malis huiusmodi opportuno remedio providere volentes: Motu proprio, & ex certa nostra scientia, deque apostolica potestatis plenitudine, omnes & singulas licentias ingrediendi Monasteria Monialium ubique locorum existentium, ac cum Monialibus conversandi, & refectorem fumendi corporalem mulieribus cuiuscumque status, gradus, & conditionis existentibus, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque fortioribus, & efficacioribus, ac insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, ad tempus, vel in perpetuum a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & etiam a Nobis concessas, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, apostolica auctoritate, tenore praesentium revocamus, cassamus, & irritamus, ac revocatas, cassas, & irritas esse decernimus.

Pena unquam licentiarum.

Inhibentes mulieribus praedictis licentias huiusmodi habentibus, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua non nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo absolvi possint, ne Monasteria praedicta praetextu licentiarum huiusmodi ingredi audeant, seu praesumant.

Pena esse admittentium.

Ipsorum vero Monasteriorum Abbatibus, seu Prioribus, ac Superioribus, sub eadem, ac privationis suorum officiorum, quae obtinent, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto sine alia declaratione incurrendis poenis, ne eas introducere, seu admittere, vel admittas quoquo modo retinere audeant, seu praesumant.

Deputatio quatuor.

Quocirca dilectis filiis nostris, &

Apostolicae Sedis pro tempore existentibus Nunciis, ac locorum Ordinariis, necnon dictorum Monasteriorum Praelatis, & Superioribus praecipimus, & mandamus, quatenus praesentes literas publicari, & praemissa omnia observari faciant: Contradictores quoslibet, ac praemissis non parentes, per praedictas, & alias sententias, censuras, & poenas, aliaque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

Quia vero difficile foret, has litteras ad omnia loca deferri: Volumus quod earum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si essent exhibitae vel ostense.

D. P. An. 8. die 10. Julii.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die decima Julii 1612. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCIV.

Erectio Congregationis, ac deputatio Officialium super Aquae Paulae, & illius Aquaeductus cura, & administratione, in Alma Urbe.

PAULUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

In Sede Beati Petri, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, boni Pastoris fungentes officio, creditas nobis oves non solum sacris, ac spiritalibus studemus munire praedictis: sed temporalibus etiam commodis, illisque praesertim, quae sunt humanae vitae usui necessaria, abundanter cumulare enixe curamus, ut apertius deinde ad supremi Pastoris, ac Mundi universi procreatoris immensam benignitatem, ac munificentiam extollendam, ab operibus hisce nostris, ut ab humanis linguis quotidie excitentur, ac fidei veluti manu ad rerum divinarum assiduum contemplationem, laudemque deducantur.

Proemium.

Quod si omnium Christianidelium, ceterarumque Civitatum, & locorum nostrae curae, & fidei commissorum, praecipua ratio Nobis habenda est, quanto impensius Urbem Romam communem patriam, ac veritatis magistram, in qua Christus Dominus illam praeter aliis diligens, Ecclesiae fundamenta jecit, & stabilivit, Nos in terris Christi vicem agentes ad ipsius imitationem praeter ceteris amare, & novis assidue ornamentis, commodisque

Paulus Urbem Romam novis aedificiis Templis, viis, aliisque modis exornavit.

que augere, & illustrare debemus? Hic permoti causis Urbem hanc nostram, tum in Templis, tum in aedificiis, viis, arcibus, aliisque structuris amplificare, ac pulchriorem, & commodiorem reddere non desistimus.

Et deinde aquarum fecunditate ditare studuit.

Et jamdudum paterno considerantes affectu, illam licet in ceteris sui partibus aquarum opportunitate fecundam, in Transyberina tamen regione, ac Civitate Leonina, quae Burgus S. Petri appellatur, earum usu pene destitutam esse, ac propterea complura ibi existentia Templa Virorum, & sanctimonialium Cœnobii, Xenodochia, & alia pia loca, aedificiaque insignia, & quod caput est, ipsius Principis Apostolorum Basilicam, & Romani Pontificis Sedem, & domicilium, aquarum commoditate carere, incommodo huic providere necessarium duximus.

Aquas multas, & locis ab Urbe longe distantibus collectas, magno sumptu ad eam uno Aquaeductu adduci curavit.

Scientes itaque Aquaeductum illum antiquitate atque operis magnitudine celeberrimum, per quem olim aqua Sabatina, & Alsetina, quae etiam Augustae a Caesare Augusto Imperatore cognomen sumpsit, in eandem Urbem via Aurelia, ad Naumachias, aliasque delicias, & voluptuosos usus Gentilium Romanorum inflebat, sive barbare gentis, sive temporis injuria dirutum ita jacere, ut ejus vestigia vix alicubi apparerent, vigilantia pastorali dignum sane putavimus, non solum impuros, ac superstitionis veterum ritus, vera religione, sacroque cultu emendare, verum etiam reliqua, vel ad ostentationem, & superbiam ab illis extructa, vel ad illicita animi oblectamenta, relaxationesque excogitata, ac deinde illorum temporum cujusdam veluti intemperantiae monumenta posteris relicta, in meliorem, ac necessarium vitae usum, quantum in Nobis est, convertere, simulque intelligentes supra Lacum Sabbatinum, Anguillarum, & Brachiani nunc dictum, ad radices collium eidem Lacui in illius ambitu dextrorsum superstantium, ultra Anguillariam, & Triviniarium, vigesimo octavo ab Urbe miliario, complures aquarum perennium per silicium venas scaturientium, visu, & gustu jucundissimarum, & saluberrimarum fontes exoriri, de aquis praedictis colligendis, corrivandisque, ac in Urbis, & Janiculum, & Vaticanum eminentes Colles inducendis cogitavimus, pro certo habentes, has Aquas non solum regioni Transyberinae, & Palatio nostro Apostolico in Vaticano, ac locis omnibus dictae regionis, & Civitatis Leoninae, sed etiam ultra Pontes traductas, in plura Castralla divisas, univere fere Urbi, tum publicum, tum privatum commodum allaturas, nec non loca Transyberina incolarum paucitate pene alicubi deserta, usu, & commoditate earum habitu frequentiora, & frequentatione jucundiora, ac saniora reddenda. In primis autem Aquaeductum veterem, ac ipsas Aquas, sed longe salu-

briores quam quae primum ab Augusto, postea a fel. rec. Adriano Papa Primo praedecessore nostro reductae sunt, earumque scaturigines, & diverticula pervestigari iussimus, certioresque facti ab iis, quibus curam hanc demandavimus, Aquas huiusmodi colligi, & ad Urbem Collesque praefatos cura solerti adhibita adduci posse; Nos neque laboribus, neque sumptibus pro huius Urbis, & in ea degentium commodo, & utilitate parcentes, opus aquae ducendae quamprimum aggredi, ac perficere deliberavimus. Ideoque complurium aquarum fontibus salubrioribus, qui in Territoriis Brachiani, Vicarelli, Bassani, & Triviniari, sub certis distinctis eorum denominationibus oriuntur, opportuna substructione comprehensis, corrivatisque rivulis unum in receptaculum collectis, atque confusis, & unam aquam conscientibus, aquam omnem per novum aquaeductum, quem ob veterem dissipatum, subterraneo, & arcuato opere a fundamentis extruximus, & restitimus, ac inter cetera duobus sublimioribus arcibus prope Urbem, cum suis subscriptionibus ad perpetuum rei monumentum erectis ornavimus: longo nempe a priori receptaculo quinque, & triginta millia passuum circuitu, ad eminentiorum collium, & humiliorum Vallium obices evitandos, & ut inflexo ductu, crebroque anfractu melior inde aqua redderetur, ad eandem Urbem, Dei beneficio, ingenti omnium latitia adduximus, & ex ea, quae ad uncias centum supra mille simul ascendit, de majori ipso aquaeductu in via supra Sacellum sub invocatione Beatae Mariae Reposi vulgo nuncupatae, trecentas in Vaticanum pro usu Palatii nostri Apostolici, & Burgi S. Petri derivavimus, reliquas octingentas uncias in Montem Janiculum inter Portam Divi Pancratii, & Ecclesiam Divi Petri in Monte aureo nuncupatam, perducere placuit, ubi praedicto magnifico, latoque fonte extructo, ac ingenti sumptuosoque perpolitum marmorum, & columnarum apparatu exornato, per quinque lapideas Aquilas, & Dracones, veluti per totidem latissima ora magno, vel adstantium, vel e longinquo prospicientium, oblectamento abunde aqua decurrit, ac perenne manat. Ut vero Fons ipse egregia sua structura meliorem e regione adventantibus praestaret prospectum, ac deinde publico usui commodior, & visui jucundior esset, omnibusque ad eum acclivior, & facilior pateret accessus, parte Montis, in qua Fons ipse conspicitur, quantum opus fuit depressa, aream satis amplam, & viam aperuimus, alia etiam ornamenta, & commoditates in dies adjecturi. Atque ut cetera urbis publica, & privata loca, usu, & commoditate huius aquae frui possint, eandem aquam ultra Sixtinum, & quatuor Caputum dictae Urbis Pontes traduci, & in Castralla divisam, in Capitolium, & reliqua Urbis loca distribui mandavimus.

Cum.

Et modo pro d. Aqua ipsiusque aqueductus cura & conservatione, Congregationem Aquæ Paulæ nuncupandam erigit.

§.4. Cumque non satis sit Aquam hujusmodi adduxisse, & tantum opus summo labore, ac tam largo sumptu absolvisse, nisi in ejus administratione, ac perpetua conservatione exacta & præcipua quæque cura & diligentia adhibeatur, partes nostri pastoralis officii esse cognovimus, ut hujus aquæ & illius aqueductus, totiusque operis curam & rationem talibus viris committamus, quorum opera, fide, prudentia, solertique studio, recte & feliciter regantur & gubernentur, ac alia, quæ ad eorum conservationem spectare noscuntur, statuamus. Motu proprio non ad alicujus Nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, hac nostra perpetua constitutione Congregationem Aquæ Paulæ nuncupandam, in qua dilecti filii Camerae nostræ Apostolicæ generalis Thesaurarius, & Archihospitalis sancti Spiritus in Saxia de eadem Urbe Præceptor, ac ejusdem Camerae Commissarius etiam generalis, nunc & pro tempore existentes, necnon Pontifices pro tempore existentes, ad nostrum, ipsorumque successorum beneplacitum deputandi, unus ex ejusdem Camerae Præsidentibus Clericis, & duo Cives Romani esse debeant, perpetuo erigimus & instituiamus, ac ex nunc ad ipsam Congregationem Magistrum Galeatium Sanuitalem ejusdem Camerae Præsidentem Clericum, & Alexandrum Mutum, ac Paulum Mellinum Cives Romanos, dilectos filios, quibus Nos aliàs ducendæ aquæ hujus curam demandavimus, & de quorum prudentia, fide, & integritate plurimum in Domino confidimus, ad beneplacitum similiter nostrum deputamus.

Protectorem d. Congregationis Cardinalis Burgesium deputat.

§.5. Ipsique Congregationi dilectum filium nostrum Scipionem tit. S. Chrysogoni presbyterum Cardinalem Burgesium nuncupatum, nostrum secundum carnem ex sorore germana nepotem, durante ejus vita præcimus, & in Aquæ Paulæ, & illius aqueductus, & operis prædictorum Protectorem similiter ad ejus vitam deputamus, ipsam protectionem, & præfectionem post ipsius Cardinalis obitum alteri concedi prohibentes, sed eas post obitum prædictum cessare, & penes dictam Congregationem remanere debere, decernentes, & declarantes.

Secretarium ejusdem Congregationis Jo. Jacobum Burgesium elegit.

§.6. Præterea dilectum filium Jo. Jacobum Bulgarinum, quem alias ad curam scripturarum hujus negotii deputavimus, ad ejus etiam vitam, cum honoribus, & oneribus, juribusque, & emolumentis solitis, & consuetis, etiam in remunerationem laborum per eum, tam in opere hujusmodi quam pro servitio, & utilitate Camerae nostræ impensorum, ejusdem Congregationis Secretarium, cui Castellæ, & receptacula illorumque

claves custodire nudi, & ne à quoquam amplius aut latiori modulo, seu fistula, vel alias quam fuerit impetratum, vel concessum aqua accipiatur, animadvertendi cura, & onus incumbat, constituimus, deputamus, ac declaramus, & esse volumus.

Congregationis jurisdictionem & facultates præscribit.

§.7. Dictæque Congregationi universam custodiam, & curam aquæ, & aqueductus, ac operis prædictorum, per præfentes committimus, & mandamus, illiusque Deputatis prædictis semel singulis mensibus, & quoties opus fuerit, se congregandi, & aquam prædictam pro usu, & commodo, tam publico, quam privato, & à quavis parte aqueductus, & quavis Urbis regiones, & loca deducendam, distribuendi, & erogandi, & postquam fuerit distributa, & erogata, per cessionem vel consensum obtinentium, in alia etiam transferendi, litterasque patentes desuper sub Scipionis Cardinalis quoad ipse vixerit, & successive sub Thesaurarii pro tempore existentis præfatorum sigillo, & nomine expeditas, desuper concedendi, necnon pro ipsius aqueductus, & operis conservatione ea, quæ faciendæ, quæ vitanda fuerint, decernendi, ac super præmissis etiam statuta condendi, eaque mutandi, corrigendi, variandi, & de novo faciendi, ac de & super eisdem præmissis, & eorum occasione inter, & contra quascumque personas cujusvis status, gradus, ordinis, & conditionis, ac quavis tam ecclesiasticæ quam temporali dignitate, titulo, & honore fulgentes, summarie, simpliciter, & de plano, manumque regia, & sola facti veritate inspecta cognoscendi, procedendi, judicandi, & definiendi, necnon citandi, ac ubi, quando, ac quoties opus fuerit inhibendi, ac pecuniarias, & ubi personarum, & casuum qualitatem sic exigere Congregatio ipsa judicaverit, etiam corporis afflictivas poenas contra transgressores statutorum prædictorum, & alios, contra quos opus fuerit, eorum arbitrio imponendi, & ad illarum, necnon etiam earum, quæ de jure communi, ac dictæ Urbis statutis de custodiendo aqueductu, aut alias in similibus constitutæ sunt, incursum declarationem, & executionem, omni, & quacumque appellatione, reclamatione, revisione, & recursum penitus, & omnino remotis, deveniendi, ac deveniri mandandi, & faciendi, aliaque necessaria, & opportuna gerendi, & exequendi etiam private quoad omnes Judices, & Officiales Romanæ Curie, ita tamen, ut ubi dicta Congregatio ad executionem alicujus poenæ corporis afflictivæ super præmissis deveniendum duxerit, executionem hujusmodi dilecto filio moderno, & pro tempore existenti dictæ Urbis Governatori, qui ad illam omni & quacumque appellatione pariter remota procedat, committere, atque demandare debeat, similiter perpetuo tribuimus, concedimus, & impet-

Visitatores Aqueductus duos esse, & deputari præcipit.

petitur plenariam, & omnimodam potestatem, facultatem, & auctoritatem.

§.8. Insuper, ut præmissa omnia accuratius perficiantur, duos aqueductus, & operis hujusmodi Visitatores, quorum præcipuum inter alia aqueductum invisitare, & perustrari, repurgari, ac refarciri facere, ac ut aqua aliquo pacto non inficiatur, nec in aqueductu aliquid vitii fiat, neve à quopiam in aquarum juribus ulla fraus, dolusve committatur, minusque aqua, sive clandestine, sive palam, per vim, aut propria auctoritate, & nisi permissione, aut consensu ipsiusmet Congregationis accedente, & juxta modum ab ea præscribendum, etiam prætextu, seu vigore cujuscumque rescripti, seu concessionis nostræ, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum aliò derivetur, seu deducatur, provide cavere, fornices, & parietes universos, & ipsum opus, ac edificium integrum diligenter tutari, & quicquid in reparatione indigere, aut in aqueductu, & illius juribus aliquid vitii, seu damni factum fuisse, vel fieri repererint, quamprimum eidem Congregationi renunciare, ac de mandato ejusdem Congregationis reparationem, & provisionem opportunam adhibere, ac in omnibus jussa Congregationis præfata, ut ad effectum perducantur, efficere, munus existat, & esse debeat, per Scipionem Cardinalem quoad vixerit, & eo vita functo per Congregationem hujusmodi deputari, ipsique Visitatoribus, ac prædicto Jo. Jacobo, & pro tempore existenti Secretario hujusmodi quinque scuta monetæ singulis mensibus constitui, & persolvi mandamus, & volumus.

Dotem locorum ducentum Montis non vacabilis, ut eorum annuus redditus pro Aqueductus conservatione designat.

§.9. Postremo, ut impense, quæ necessario sient in reparatione, & conservatione prædictis, necnon ut Officialium, & Ministrorum salaria solvi possint, ducenta loca alicujus Montis non vacabilis de pecuniis Camerae Apostolicæ, sub nomine, & in favorem aqueductus prædicti quamprimum emi etiam mandamus, illaque sic empta ex nunc pro ejusdem aqueductus, & illius operis perpetua dote assignamus hoc modo videlicet, ut illorum annuus redditus, illorumque fors numquam imminuatur, neque in alios usus, quam dicti aqueductus convertatur. Quicquid autem ex ipso redditu, impensis necessariis, & salariis deductis, annuatim supererit, forti accrescat, & in emptionem aliorum locorum ejusdem Montis in fortis incrementum collocetur, & ipsius redditus, ac incrementi administratio, ac libera dispositio, nunc, & in perpetuum penes dictam Congregationem sit, & esse debeat: non possit tamen redditus ipse in toto, vel parte, alias quam per Congregationis mandata Depositario hujus Montis, nunc, & pro tempore existentis dirigenda exponi, & per dictum Depositarium absque ejusdem Bull. Rom. Tom.V. Par.IV.

Congregationis mandato solvi, prout id omnino prohibemus.

Observantia præmissorum injungitur.

§.10. Decernentes præmissa omnia, & singula per eos, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, firmiter, & inviolabiliter perpetuo observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarii derogatur.

§.11. Non obstantibus piæ memorie Pii Papæ IIII. prædecessoris nostri, quatenus opus sit, super gratis interesse dictæ Camerae concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expreßum tempus registrandis, ita quod præfentes etiam si in ipsa Camera registrata, vel in ea intimata non fuerint, nihilominus perpetuo valere, & in suo robore persistere debeant, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis facultatibus, privilegiis, indultis, & litteris Apostolicis, nostro, & pro tempore existenti Romani Pontificis Cameraario, seu Camerae Apostolicæ, & ejus Præsidentibus Clericis, aliisque Officialibus, & Ministris quibuscumque, etiam iteratis vicibus, etiam motu simili ex certa scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine, etiam Consistorialiter, per Nos, & Prædecessores nostros quomodolibet, etiam cum derogatoriis derogatoriis, irritantibusque, & aliis decretis, ac tam Præceptorum Archihospitalis prædicti, quam Deputatis Aquæ Paulæ, & quibusvis aliis communitate, vel divitum, concessis, approbatis, & innovatis, etiam in corpore juris clausis, etiam præmissa fieri specialiter prohibentibus, eorumque usus, & naturis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expreßio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores hujusmodi, ac si præfentibus etiam de verbo ab verbum, & forma in illis tradita nihil penitus omisso observata infererentur, eidem præfentibus pro expreßis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expreßis, motu, scientia, & potestate paribus derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pre-nalis apponitur.

§.12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum erectionis, institutionis, præfectionis, constitutionis deputatorum, deputationum, declarationis, commissionis, demandationis, tributionis, concessionis, impartitionis, voluntatum, mandatorum, assignationis, prohibitionis, decretorum, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, O & Pau-

& Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo duodecimo, Idibus Septembris, Pontificatus nostri Anno octavo.

CCC.

Unio Prioratum Angliæ, & Hiberniæ, ac Bajulivatus Aquilæ Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Magistratui dicti Hospitalis, donec Regnum Angliæ ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ redierit.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Alias, postquam fel. record. Gregorius Papa XIII. prædecessor noster motu proprio, & ex certa ejus scientia majorem, & alios omnes Prioratus, & Preceptorias, cæteraque Beneficia, & dependentias Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani in Regno Angliæ consentientia quæcumque, quotcumque, & qualiæcumque essent, & quibusvis modis, quos haberi voluit pro expressis, & ex quorumcumque personis illa vacarent, cum illis forsân annexis, ac iuribus, & pertinentiis suis, Magistratui dicti Hospitalis, donec dictum Regnum ad obedientiam Sedis Apostolicæ redactum foret, univerat, annexerat, & incorporaverat, rec. mem. Sixtus Papa V., etiam prædecessor noster, ut de Angliæ, & Hiberniæ Prioratibus, & Bajulivatu Aquilæ ejusdem Regni, & Lingue Angliæ personis idoneis dicti Hospitalis salubriter provide-retur, motu, & scientia similibus unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi quoad Angliæ, & Hiberniæ Prioratus, nec non Bajulivatum Aquilæ dumtaxat dissolvit, & bon. mem. Ugoni Diacono Cardinali, tum dicti Prioratus Hospitalis Magno Magistro concessit, & indulgit, ut quotiescumque dicti Prioratus Angliæ, & Hiberniæ, nec non Bajulivatus Aquilæ per cessum, vel decessum, aut alio quovis modo vacarent, vel eos vacare contingeret, fratribus ejusdem Hospitalis sibi benevisis quibuscumque essent Nationis, & Lingue, dummodo tamen aliis essent idonei, & capaces, ad Dignitatem Magnæ Crucis obtinendam juxta formam stabilimentorum, & consuetudinum ejusdem Hospitalis, quoad prædictum Regnum ad unitatem Catholice Ecclesiæ rediret, providere, & conferre possent, prout in Gregorii, & Sixti prædecessorum prædictorum literis desuper expeditis plenius continetur.

§. 2. Quoniam autem, sicut accepimus, plurimum expediat, ut Prioratus, & Bajulivatus hujusmodi prædicto Magistratui de novo uniantur. Idcirco Nos, motu, & scientia paribus Prioratus Angliæ, & Hiberniæ, ac Bajulivatum Aquilæ prædictos, quorum fructus, redditus, & pro-

ventus præsentibus haberi volumus pro expressis, ex nunc si illi ad præsens quovis modo vacent, vel cum primum per resignationem, seu cessionem, aut obitum illos ad præsens obtinentium, aut aliis quomodolibet vacare contigerit, etiam si forsân tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranen. Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, illaque dispositioni Apostolica specialiter, vel generaliter reservata existat, & super eis inter aliquos lis, cujus statum, nec non verum, & ultimum cujusque illorum vacationis modum, etiam si ex illo quævis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resulter, & præsentibus similiter haberi volumus pro expressis, pendeat indecisa, cum illis forsân annexis, ac omnibus iuribus, & pertinentiis suis, sine tamen præjudicio illos ad præsens obtinentium, & antiq-nitatem, aut lus quæsitum ad illos habentium, Magistratui prædicto, donec dictum Regnum ad obedientiam prædictæ Sedis reductum fuerit, apostolica auctoritate tenore præsentium de novo unimus, annectimus, & incorporamus; ita quod licet moderno, & pro tempore existentis Magistro dicti Hospitalis ex tunc si dicti Prioratus, & Bajulivatus vacent, vel cum primum illi, ut præfertur, vacaverint, per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem eorumdem Prioratum, & Bajulivatus propria auctoritate libere apprehendere, & donec reductio prædicta facta sit, retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus in eorumdem, & suæ mensæ Magistratus usus, & utilitatem convertere, Diæcesanorum locorum, vel quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita.

§. 3. Non obstantibus nostra de unionibus committendis ad partes, & valore fructuum etiam Beneficiorum, cui illud uniri petitur, ac etiam de valore fructuum Beneficiorum Ecclesiasticorum in eorum impetrationibus exprimendo, nec non Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, aliiisque Apostolicis Constitutionibus, ac dicti Hospitalis Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac novis reformationibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eidem Hospitali, illiusque Conventui, & Linguis quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Prioratus, & Bajulivatus hujusmodi ubicumque poterit, debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta.

Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 25. Septembris 1612. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. die 25. Septembris 1612. An. VIII.

Unionem a Gregorio factam restituit Paulus.

Sixtus PP. V. hanc unionem dissolvit quo ad Prioratus Angliæ, & Hiberniæ, & Bajulivatum Aquilæ.

Gregorius XIII. Preceptorias Angliæ Magistratui univit.

Ex Regest. in Secret. R. C. V.

CCVI.

Facultas Deputatorum à Capitulo Conventuali Eremitarum Montis Senarii, Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Virginis, recipiendi Novitios. Et mitigatio jejunii in pane, & aqua, pro quarta feria cujuslibet hebdomadæ Adventus, & Quadragesimæ.

Hæc Eremitarum instituta vel potius restituta sunt anno 1593. tempore Clem. VIII. ut videre est in ejus Constit. CCLXIV. Decret. Tom. V. Par. II. fol. 304. Cætera de Ordine isto Servitarum vide in Constit. XI. Sedis, Martini V. Tom. III. Par. II. fol. 443.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Sedis Apostolicæ circumspècta benignitas personarum quarumlibet in Eremitis & aliis locis regularibus Altissimo famulantium votis ad pii eorum instituti propagationem, & incrementum tendentibus, libenter annuit, eaque favoribus prosequitur opportunis.

§. 2. Non obstantibus prædictis Sixti V. & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die 2. Octobris 1612. Pontificatus Nostri Anno VIII. Sequitur supradicta mitigatio Jejunii in pane, & aqua.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Alias fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessori nostro, &c. §. 3. Cum autem, sicut pro parte dilecti Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

Clementis VIII. Constitutio.

Dat. die 2. Octob. 1612. An. VIII.

Derogatio contrariis.

Facultas Deputatorum à Capitulo Conventuali Eremitarum recipiendi Novitios ad Eremitarum.

Exordium.

eorum filiorum Majoris, & Conventus Fratrum Eremitarum dictæ Eremitæ Montis Senarii, Nobis nuper expositum fuit, quod prædicti Prior Generalis, ac Prior, & Fratres dictæ domus Annuntiata, concessa sibi, ut præfertur, facultate utentes, erectionem, & alia præmissa fecerint, statuerint, & ordinaverint: experientia vero compertum sit, quod jejunium in pane, & aqua tantum, in tribus prædictis quarumlibet hebdomadarum Adventus, & Quadragesimæ feriis observandum, dictorum Fratrum Eremitarum vires nimis debilitet, ac valetudini officiat, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis, ut infra, providere de benignitate apostolica dignæmur.

§. 4. Nos igitur attendentes, quod prædictorum Fratrum Eremitarum institutum, etiam si dicta panis, & aquæ jejuniorum observantia moderetur tantum, satis arctum remanet, humana infirmitati aliquid indulgendum duxerimus. Itaque eosdem Fratres Eremitas, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personæ à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem nunc, & pro tempore existentibus Eremitæ prædictæ Fratribus Eremitis, ut in Feria quarta cujuslibet hebdomadæ Adventus, & Quadragesimæ, in pane, & aqua tantum jejunare minime teneantur, firmis in reliquis remanentibus literis prædictis, dicta auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 5. Decernentes ipsos Fratres Eremitas super præmissis, aut eorum aliquo, nullo modo molestari, vel perturbari quoquo modo posse, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus literis prædictis, ac quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Eremitæ prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis: quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hæc vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi, sub Annulo Piscatoris, die 18. Octobris 1612. Pontificatus nostri Anno octavo.

1612. Petitio mitigationis jejunii in pane, & aqua.

Concessio dictæ mitigationis.

Justo desuper non molestari Eremitas.

Derogatio contrariis.

Dat. die 18. Octob. 1612. An. VIII.

CCVII.

Apostolica benedictio ad Petrum Patriar-
cam Maronitarum Antiochenum, fa-
cultasque ei tributa omnes Catholicos
Maronitas benedicendi, cum Indulgentiarum elargitione.

PAULUS PAPA QUINTUS

Venerabili Fratri Petro Patriarcha Maro-
nitarum Antiocheno, salutem, & Apo-
stolicam benedictionem.

Patriarcha
Maronitarum
Pontificis be-
nedictionem
pro se, & alijs
postulat.

Qui illam ei
impartitur.

Et alios, au-
toritate ip-
sius Pontificis
benedendi
munus injun-
git.

Præsentibus
que huic be-
nedictioni co-
fessisque, &
sacrae comu-
nionis refe-
ctus, remissio-
nem peccato-
rum elargien-
di.

Dat. die 21.
Decembris 1612.
A. VIII.

Ex Archiv.
in Castro S.
Angeli.

Procerium.

§. 1. Quoniam fraternitatis tue nomi-
ne Apostolatus nostro nuper
expositum fuit quod nostram Aposto-
licam Benedictionem Tibi, ceterisque Ve-
nerabilibus Fratribus nostris Archiepi-
scopis, Episcopis, dilectisque filiis Clero,
& populo Maronitarum impertiri desi-
deras.

§. 2. Idcirco Nos pio desiderio hu-
jusmodi boni pastoris benigne satisfacere
volentes, eidem Fraternitati tue hu-
jusmodi Apostolicam Benedictionem lib-
entissime impertimur.

§. 3. Quo vero ad Archiepiscopos, Epi-
scopos, Clerum, & populum prædictos at-
tinet, ut eorumdem personas utriusque
sexus respective, tuosque etiam, & illorum
agros, possessiones, domos, & bona qua-
cumque, ex parte omnipotentis Dei, ac
beatorum Petri, & Pauli Apostolorum,
ejus, & nostra, eadem Fraternitas tua per
se, vel alios, Episcopali tamen dignitate
fungentes, unica vice tantum benedicere:

§. 4. Hisque præterea, qui confessi, & sa-
cra communione refecti huic benedictio-
ni præsentem erunt, plenariam omnium
peccatorum suorum indulgentiam, & rem-
issionem misericorditer in Domino, ead-
em auctoritate nostra Apostolica elargiri
possit, tenore præsentium concedimus,
& indulgemus.

§. 5. Precamurque Dominum, ut aper-
iens manum suam, impleat vos, & bona
vestra, & universam Maronitarum cat-
holicam nationem benedictione sua.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum,
Anno Incarnationis Dominicæ 1612. de-
cimo Kalend. Decemb. Pontif. nostri An-
no octavo.

CCVIII.

Confirmatio Electionis, & Coronationis
Matthiæ in Regem Romanorum.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Charissimo in Christo filio Matthiæ Romani-
rum Hungariae, & Bohemiae Regi
Illustri, salutem, & apostolicam
benedictionem.

Romani Pontificis, qui Regis Regum,
Domini Dominantium, & per quem

Reges regnant, & Regum Conditores iusta
decernunt, in Beati Petri Sede vices ge-
rit in terris, muneris esse dignoscitur, qua
ad communem utilitatem, salutem, & præ-
sidium, & ad Sacri Romani Imperii Statum
pertinent iudicii, & auctoritatis suæ robore
communire.

§. 1. Quapropter cum inclita memo-
ria Rodolpho Romanorum Rege in Impe-
ratorem Electo rebus humanis exempto,
Romanum vacaret Imperium, ejusdem Im-
perii Principes Electores a Venerabile Fra-
tre nostro Joanne Archiepiscopo Moguntin.
pro munere suo in Civitatem Francofurti
de more ad certam diem vocati, in eadem
Civitate convenientes, ut Romanorum Re-
gem futurum Imperatorem eligerent, qui
præcellis, regisque virtutibus Republi-
cam tueretur, iidem Principes Te, qui
Hungariae, & Bohemiae Rex eras, unanimi
consensu divina favente clementia in Ro-
manorum Regem futurum Imperatorem
solemniter elegerunt; Tuque electioni hu-
jusmodi, oblato Tibi de more decreto, qua
decurrit, modestia consensisti, ac deinde in
ejusdem Civitatis Collegiata Ecclesia San-
cti Bartholomæi post Missarum solemniam
a prædicto Joanne Archiepiscopo Moguntin.
celebrata, per Te in manibus ejusdem Jo-
annis Archiepiscopi præfati more Catholi-
corum Regum Romanorum Prædecessorum
tuorum juramento, aliisque solemnibus rite
peractis dicti Joannis Archiepiscopi ministri-
o, ritu, & pompa solita coronatus fuisti.

§. 2. Quoniam vero electionis, coro-
nationisque negotium hujusmodi nuper per
Venerabilem Fratrem Nostrum Joannem
Episcopum Bambergensem ejusdem Imperii
Principem, Consiliarium, & Oratorem
Tuum specialem coram Nobis proponi fec-
istis, petens omnia præmissa per Nos apo-
stolica auctoritate cæceremoniis servari soli-
tis confirmari;

§. 3. Nos de præmissis per legitima
documenta sufficienti habito testimonio, &
re cum Venerabilibus Fratribus Nostris
S. R. E. Cardinalibus diligenter perpen-
sa, & mature considerata, magna animi nostri
cum spirituali letitia ex eadem electione
suscepta, ad laudem, & gloriam Omnipoten-
tis Dei, gloriosissimaque ejus Genetri-
cis Mariæ, ac Beatorum Apostolorum Pe-
tri, & Pauli, nec non ejusdem Romanæ Ec-
clesiæ, & sacri Imperii exaltationem, &
honorem, electionem de persona Majesta-
tis Tue in Regem Romanorum futurum
Imperatorem, & Coronationem sin dicta
Civitate Francofurti factas, ob præstantissi-
mas animi, & corporis Tui dotes, luculen-
tissimamque earum indicia, ac testimonia, &
certissimam spem, quam de Te in sancta
fidei, & Religionis Catholice, ac Nostræ,
& Romanæ Ecclesiæ, illiusque rerum, &
honorum defensione, propagatione, & pro-
tectione conceptam habemus, de eorumdem
Fratrum consilio, & unanimi assensu aucto-
ritate apostolica, & ex certa nostra scientia,
ac de apostolica potestatis plenitudine,
tenore præsentium confirmamus, & appro-
bamus

Mortuo Ro-
dolpho Ro-
man. Impera-
tore eligunt
Matthias;

Qui ab Ar-
chiepiscopo
Moguntino
coronatus;

Electionem
suam Pontifi-
cia auctorita-
te petit con-
firmari.

Confirmas
Paulus.

Contraria
tollit.

Clause.

Dat. die 9.
Januarii 1613.
An. VIII.

Papæ.

Et Cardina-
lium subsec-
riones.

banus, omnesque, & singulos juris, & fa-
cti defectus, qui aut ratione formæ, aut
loci Coronationis ejusdem, aut personarum
Electorum eorumdem, seu etiam ex eo,
quod idem Rodolphus electus Imperator de
manu Romani Pontificis auream Coronam
non susceperit, seu quavis alia ratione, vel
causa in hujusmodi electione, & coronatione,
quovis modo forsitan intervenerint, sup-
plemus, Teque sic electum, & confirmatum
ad suscipiendum Imperialis dignitatis
culmen suis loco, & tempore dignum, &
idoneum etiam decernimus, & declaramus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac
Constitutionibus, & ordinationibus Apo-
stolicis, nec non quibusvis legibus Imperiali-
bus, ac privilegijs Electoribus ipsis, & qui-
busvis alijs forsitan concessis: Quibus etiam si
ad illorum derogationem de illis, eorum-
que totis tenoribus specialis, specifica, ex-
pressa, & individua, ac de verbo ad ver-
bum, non autem per generales clausulas
idem importantes mentio, seu quævis alia
expressio habenda, aut aliqua alia forma ser-
vanda esset, illorum omnium tenores præ-
sentibus pro sufficienter expressis, & inser-
tis habentes, illis alias in suo robore per-
manfuris, hac vice dumtaxat, auctoritate,
scientia, potestate, & tenore præmissis spe-
cialiter, & expresse derogamus, ceterisque
contrariis quibuscumque.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat
hanc paginam nostræ confirmationis,
approbationis, suppletionis, decreti, de-
clarationis, derogationis infringere, vel ei
ausu temerario contraire: Si quis autem
hoc attentare præsumperit, indignationem
Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri,
& Pauli Apostolorum ejus se noverit in-
cursum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno
Incarnationis Dominicæ millesimo sexcen-
tesimo duodecimo, quinto Idus Januarii
Pont. Nostræ Anno Octavo.

✱ Ego Paulus Catholicæ
Ecclesiæ Episcopus.

Loco ✱ signi.

Satiabor cum apparuerit gloria tua.

- ✱ Ego Antonius Episcopus Sabinen. Card-
inalis Santius.
- ✱ Ego Evangelista Episcopus Tusculanus
Cardinalis Casentinus.
- ✱ Ego Paulus Episcopus Albanensis Card-
inalis S. Cecilie.
- ✱ Ego Benedictus Cardinalis Justinianus
Episcopus Prænestinus.
- ✱ Ego Franciscus Maria Tit. S. Laurentii
in Lucina Presbyter Cardinalis a Monte.
- ✱ Ego Flaminius Tit. S. Mariæ de Pace
Presbyter Cardinalis Platensis.
- ✱ Ego Oct. Tit. S. Sabinae S. R. E. Presbyter
Cardinalis Bandinus.
- ✱ Ego Bart. Tit. S. Praxedis S. R. E. Pres-
byter Cardinalis Celsus.

- ✱ Ego Franciscus Tit. S. Mariæ de Populo
S. R. E. Presbyter Cardinalis Mantica.
- ✱ Ego Bonifacius Tit. S. Petri ad Vincula
Presb. Cardinalis Bevilacqua.
- ✱ Ego Dominicus Tit. S. Petri in Monte
Aureo Presb. Cardinalis Tassus.
- ✱ Ego Robertus Tit. S. M. in Via Presbyter
Cardinalis Bellarminus.
- ✱ Ego Dominicus S. S. Apostolorum Cardina-
lis Gymnasius.
- ✱ Ego Antonius Tit. S. Crucis in Hierusa-
lem Presb. Cardinalis Zapapa.
- ✱ Ego Carolus Tit. S. Prisca Presb. Car-
dinalis de Comitibus.
- ✱ Ego Joannes Cardinalis de Vincen.
- ✱ Ego Joannes Cardinalis Sannesi.
- ✱ Ego Scipio Cardinalis Burghesius Tit.
S. Christophori.
- ✱ Ego Jo. Garzia Tit. S. S. Quatuor Corona-
torum Presbyter Cardinalis Millinus.
- ✱ Ego M. Tit. S. S. Quirici, & Juliane Car-
dinalis Lantes.
- ✱ Ego P. Card. la Rochefoucault.
- ✱ Ego F. Tit. S. Augustini Presb. Cardina-
lis Verallus.
- ✱ Ego J. B. Tit. S. Sixti Presb. Cardinalis
Lenius.
- ✱ Ego Decius Tit. S. S. Jo. & Pauli Presb.
Cardinalis Carafa.
- ✱ Ego M. Tit. S. Alexii Presb. Card. Sen-
nen.
- ✱ Ego T. Tit. S. Georgii in Velabro Presb.
Card. Serra.
- ✱ Ego F. August. Tit. S. M. in Araceli
Presb. Cardinalis.
- ✱ Ego Hor. Tit. S. Salvatoris in Lauro
Presb. Cardinalis Lancellottus.
- ✱ Ego Gaspar Tit. S. Susanna Presb. Card.
Borgia.
- ✱ Ego A. S. Laurentii in Damaso Diac.
Cardinalis Montaleus S. R. E. Vicecan-
cellarius.
- ✱ Ego A. S. Angeli in Foro Piscium Diac.
Cardinalis Perottus.
- ✱ Ego P. S. Agathe Diac. Cardinalis Cap-
ponus.

CCIX.

Senatus Solodori admonetur, ut quædam
Decreta per Nuncium Apostolicum apud
Helvetios ad disciplinam regularem in
Monasterio Monialium Tertii Ordinis
S. Francisci inducendam, edita exequutio-
ni curet demandari.

Dilecto filio Scultero, & Senatui
Solodori.

PAULUS PAPA QUINTUS

Dilecti filii salutem, & Apostolicam
Benedictionem.

Accepimus, nec sine animi nostri mo-
lestia, quod postquam Ven. frater La-
dislaus Episcopus Venafran. noster, & Apo-
stolicæ Sedis in istis partibus Nuncius de
spe-

Ex Regestis
Secret. Br. v.

Nuncius Apo-
stolicus non-
nulla statu-
ad repandis
di disciplinam.

1613. Regularium in Monasterio Tetragiarum Urois Solodo.

speciali mandato nostro, ad reformationem regularis disciplinae collapsae in Monasterio Tertiarum Ordinis S. Francisci...

Nonnulli tamen ea parvi pendunt.

§. 2. Siquidem licet praedictus Ladislaus Episcopus pro sui officio debito, & nostris specialibus mandatis gesserit, & decreverit...

Pontifex Magisterium adhoratur, ut ea exequantur...

§. 3. Quamobrem, est vestra prudentia, pietate, & sincera in nos, & Apostolicam Sedem devotione freti minime dubitamus...

Dat. die 16. Februarii 1613. Anno VIII.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 16. Februarii 1613. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Archivio in Arce S. Angeli.

Matthiae Romanorum Regi in Imperatorem electo primariae preces, seu jus ad Beneficia Ecclesiastica primo vacatura nominandi, conceduntur.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Charissimo in Christo Filio Matthiae Romanorum Regi illustri in Imperatorem electo salutem.

Matthiae Romanorum Regis preces.

§. 1. Cum post factam de persona tua per Sacri Romani Imperii Principes

Electores in Regem Romanorum electionem, ac per Nos pro universa Christiana Republica salute confirmatam nuper Nobis significaveris, te summo opere desiderare personas tibi gratas, & acceptas gratia, & munificentia, aliqua beneficia Ecclesiastica consequi posse...

Concesso, de qua in Rubrica.

§. 2. Hinc est, quod tuae Celsitudinis supplicationi inclinati, dicta auctoritate praesentium serie eidem Celsitudini tuae concedimus, & indulgemus, quod si per te, quibusvis collatoribus, seu collatrici-

Concesso, de qua in Rubrica.

bus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum secularium, vel Regularium, Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutorum; etiam si quis, vel si quae Pontificali, vel alia quavis dignitate praesulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint, super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura secularibus, vel Ordinum hujusmodi Regularibus in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, & aliis quibusvis Ecclesiis, etiam si Beneficia hujusmodi Canonatus, & Praebendae, Dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, & ipsae Praebendae in illis ex hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, vel minores Praebendae esse noscuntur, etiam si majores fuerint, & ad Dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura imminet animarum: dummodo dignitates ipsae in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales majores, aut Collegiatis hujusmodi principales non existant, ad eorundem collatorum, & collatricum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem

communiter, vel divisim pertinentibus, singulis personis conferendis, seu sic per hoc, quod persona hujusmodi ad illa recipiantur, & admittantur, Preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi beneficia nominationes fieri contigerit, primarias iidem collatores, & collatrices, salvo quod singulae collationes, & singulae Ecclesiae ex hoc ultra, quam in uno beneficio non graventur, ac ipsi collatores, & collatrices saltem quatuor beneficia Ecclesiastica conferre habeant; hujusmodi precibus, & nominationibus parere, & intendere; nec non personas ipsas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonice provium fuerit, juxta earundem Praecum, aut nominationum tenorem, recipere, & admittere debeant, & etiam teneantur &c. Quodque quicumque quibusvis in dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici singuli, videlicet in illis, quos pro singulis personis praedictis Praecum, & nominationum hujusmodi, & ad hoc, ut illa fortiantur effectum, etiam praesentium exequutores deputaveris, per se, vel per alium, seu alios beneficia praedicta, cum in quibusvis, etiam Ordinariis Collatoribus per Constitutiones Nostras, aut literas alternativas, aliaque privilegia, & indulta, quaecumque quomodolibet concessis, & in posterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, & quae personae, pro quibus Praeces, & nominationes hujusmodi factae fuerint, quatenus hujusmodi Praeces, five nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptandas, etiam si ipsa beneficia dispositioni Apostolicae aliam quam per Constitutionem fel. rec. Benedicti Papae XII. Praedecessoris nostri, quae incipit; Ad Regimen, generaliter reservata existant, & ex diversis personis vacaverint &c. dummodo quoad hujusmodi qualitates alias cum eis canonice dispensatum, & beneficia in eadem Ecclesia obtinenda talia sint, quae sine dispensatione Apostolica insimul obtineri possint, aut consueverint, ac ipsorum vacantium beneficiorum collatio non fuerit juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, neque saper illis inter aliquos lis pendeat indecisa, conferre, & assignare &c. ac personis praedictis, pro quibus hujusmodi primarias Praeces porrigi, seu nominationes fieri contigerit, quod ipsae expectativis, & nominationibus, seu specialim reservationum de quibusvis beneficiis pro eis factarum gratis, & mandatis de providendo ipsis de eisdem, si quae ipsis concessa fuerint, una cum gratia Praecum, & nominationum primariarum earundem, uti possint, nec aliqua gratiarum hujusmodi consumpta, reliquae earundem casae censentur, vel irritae, indulgemus.

Derogatio contrarium.

§. 3. Non obstantibus nostris de non, utendo gratia, expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratis insimul, ac de insinuatione, ac publicatione, & diligentis per acceptantes desuper faciendis, & in fa-

vorem ordinariarum collatorum, nec non expectativas in forma pauperum habentium, ac illustrium, & graduatorum, ac Sedis praefatae Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, nec non quibuscumque in Cancellaria Apostolica quomodocumque publicatis, & publicandis, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi forsitan fuerint, Statutis, & consuetudinibus, illis praesertim, quibus in Ecclesiis, in quibus majores, & minores praebendae hujusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi majorem praebendam majore assequi valeat, nisi illam de minori gradatim, & per optionem ascendat, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliis roboratis, contrariis quibuscumque &c. nec non Concordatis Nationis Germanicae, ac eorundem Concordatorum, confirmatione, ac praedictis, & quibuscumque aliis quomodocumque editis, & edendis Constitutionibus, & Regulis nostris, & dictae Cancellariae, ad quarum solemnitatem, adfrictionem, formam, vel satisfactionem, seu observantiam habentes Praeces, seu nominationes hujusmodi minime teneantur: nec ipsae Praeces sub illis comprehendantur quoquo modo, nec non quibusvis privilegiis, Indultis, & literis Apostolicis, & quibusvis gratis expectativis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, unionibus, annexionibus, & incorporationibus, suppressionibus, & extinctionibus perpetuis, & temporalibus nominationibus &c.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1612. kalen. Martii Pont. Nostri Anno Octavo.

Dat. die 1. Martii 1613. An. VIII.

CCXI.

Erectio Seminarii sub invocatione S. Pauli in Urbe, Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae, pro Christianae fidei propagatione.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis providentia circumspicienda, animarum salutis assidue invigilans, quae antea provide facta fuisse videtur, si rerum, & temporum ratio postulaverit, nonnumquam in melius commutat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Exordium.

§. 1. Alias siquidem pro missione ad conversionem infidelium instituenda, per nostras in simili forma Brevis expeditas literas, sub datum 22. Julii 1608. Pontificatus nostri Anno Quarto, Motu nostro proprio, ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo nova reformationis tam Hispaniarum, quam Italiae, unam Congregationem sub invocatione S. Pauli, ab uno Commissario generali, cum Definitorum inter-

Institutio huius Congregationis sub invocatione S. Pauli ex Ordine Carmelitarum reformationum pro Christianae fidei propagatione.